

neque fidem confirmant, neque mores hominum emen-  
dant. Dantur etiam in Theologia theses, quæ non invol-  
vunt connexionem cum salute, & in utramque partem tra-  
huntur, aliis eas affirmantibus, aliis easdem negantibus.  
Quales sunt quæstiones de die, quo lapsi sunt angeli, & qua-  
le fuerit eorum peccatum, ut & de insigni quadam Judæo-  
rum conversione, quam ex Rom. XI. v. 25. 26. quidam ad-  
struunt, de immortalitate primi hominis ante lapsum, ut  
&, utrum anima producatur per traducem, an vero per crea-  
tionem, aliæque plures. Eiusmodi quæstiones neque me-  
diato neque immediato nexu cum articulis fidei cohærent,  
adeoque salva salute vel affirmari vel negari possunt. Atta-  
men observandum, alteram tantum sententiam esse veram,  
quia contradictoria simul vera esse non possunt, licet saluti  
non obsit, utram sententiam sequaris. Sed in determina-  
tione ejusmodi quæstionum scripturæ autoritas & fidei ana-  
logia est respicienda. V. g. Si de immortalitate Adami an-  
te lapsum quæras, respicias Scripturam, quæ docet, mortem  
per peccatum intrasse, ast ante lapsum nullum fuit peccatum.  
Si quæras de propagatione animæ, caveas, ne eam negando  
& creationem asserendo multum labores, quomodo anima  
peccatis contaminetur. Tandem ejusmodi quæstiones tanto  
fervore non sunt tractandæ, sed prudens modestia dirigat lin-  
gvam, ne amoris vinculum rumpatur, & dissensus in  
schisma degeneret. Memores simus controversiæ levioris  
momenti, de die, quo Paschatis solennia celebranda sint,  
quæ inter Victorem Romanorum & Polycratem Ephesio-  
rum Episcopum agitata est. Orientales Ecclesiæ, quibus-  
cum faciebat Polycrates, celebrarunt Pascha 14. die Martii;  
Occidentales vero Dominica sequenti. Orientales morem

C

sibi